



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. V. Mors Neronis, Galbae & Othonis, Imperatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

Clemens Alexandrinus in libro Informationum.

C A P. III.

De Epistola Pauli ad Hebræos.

Licet manifesta sunt Pauli Apostoli scripta, nonnulli tamen de epistola ad Hebræos dubitant. Sed sciendum, quod à Paulo scripta est in Hebræo sermone, tanquam Hebræis: à Luca vero ejus discipulo interpretata in Græcum. Unde & stylus ejus magis videtur similis libello illi, quem idem Lucas de Actibus Apostolorum scripsit. Quod autem subscriptionem solam non habet ibi, hoc rationis est, quod præceptum erat Hebræis, ne de Pauli nomine dicta susciperent; & idcirco prudenter nomen suum omisit, ne statim in principio, Pauli nomine inspecto, lectio ejus repudiaretur.

C A P. IV.

De sancto Luca.

Lucas, ejusdem Pauli discipulus, *Antiochenus* genere, arte medicus, duos nobis libros conscribit, *Actus Apostolorum*, quos ipse oculis inspexit, & *Evangelium*, quod, ut dicitur, ex ipsius Pauli ore descripsit. Quod etiam Paulus suum nominat, cum dicit; *secundum Evangelium meum*. Sed jam ad historiæ ordinem revertamur.

C A P. V.

Mors Neronis, Galbæ & Othonis, Imperatorum.

Igitur post XIII. imperii sui annos *Nero* moritur, *Galbæ*
& *Otho*

& *Otho* usurpant principatum, quibus post annum & tres menses defunctis, *Vespasianus*, tunc apud Iudæam in exercitu existens, revocatur, & donatur imperio; commendata Tito filio suo causa belli, & impugnatione Hierosolymæ; sub quo præfata civitas capitur & subvertitur.

C A P. VI.

Subversio Hierusalem à Tito & Vespasiano.

Ecclēsia vero fidelium, quæ ibidem fuerat congregata, divino accepto responso, prævenit subversionem, & ad opidum, *Pellam* nomine, trans Iordanem emigrat. Tunc incredibilis fit cædes Iudæorum; & primo quidem diræ & inauditæ famis exitio plaga intolerabilis divinitus mittitur, in tantum, ut bella & cædes inter parentes & liberos committerentur, dum non solum è manibus, sed ex ipsis faucibus invicem rapere cibum decertant. Ad ultimum quidem ne loris vel cingulis, aut etiam ipsis calceamentis, abstinent. Portarum quoque indumenta detrahentes conficienda dentibus ingerunt, nonnulli & fœni veteris edunt festucas. Porro geritur ibi facinus execrabile, neque adhuc apud Græcos, neque apud Barbaros auditum.

C A P. VII.

De Maria, quæ filium suum comedit assatum.

Mulier quædam, *Maria* nomine, genere & facultatibus nobilis, quæ ad diem festum cum cæteris de

D

trans